



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

An hermaphroditus impotens sit Matrimonio contrahendo. §. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

An impotentia ex defectu ætatis impedimentum sit matrimonij contrahendi?

- 1 Spectato iure naturæ nulla ætas signata est matrimonio contrahendo. Secus iure Ecclesiastico.
- 2 Ab hac doctrina excipitur, nisi proximus pubertati discretionæ, potentiaque coeundi polleat.
- 3 Quis dicatur proximus pubertati.
- 4 Qui ante ætatem puberem contraheret ignorans malitiam supplere ætatem, mortaliter peccaret.
- 5 Omnino tenendum est completæ pubertate aptos esse ad matrimonium contrahendum, & nisi potentiam coeundi non habeant, est aliqui contrarium censeant.
- 6 Cum dubium est, An impotentia perpetua, vel temporalis sit, non possunt coniuges dissolutionem petere, quousque plenam pubertatem nati sint?

Spectato iure naturæ nulla ætas determinata signata est matrimonio contrahendo, sed ea censeretur apta, quæ perfectum vsum rationis attingit, quia illa est sufficiens, vt contrahens se obliget ad copulam coniugalem mediâ potentia successu temporis habendam, sicuti ex omnium sententia docuit Sanch. lib. 7. disp. 104. num. 11. Iure tamen Ecclesiastico ætas ad matrimonium contrahendum est in viris decimusquartus annus completus, in foeminis duodecimus, vt constat ex cap. puberes. cap. continebatur. cap. arrefractiones. cap. ex litteris de desponsat. impuber. Quod adeo verum est, vt esto Rebell. lib. 3. q. 16. sect. 2. censeat non esse necessarium eam ætatem mathematicè completam esse, sed sufficere, si moraliter completa sit, vt indicatur si 20. vel 30. dies deficiant, quia quod parum distat nihil distare videtur, & quia ea ætas definita est ob præsumptionem potentia ad copulam, quæ eo tempore, & non antea creditur adesse. Rectius tamen Sanch. disp. 104. in princ. Basil. Ponce lib. 7. c. 6. §. 1. Gasp. Hurtado disp. 22. diffie. 11. n. 4. §. & alij asserunt eam ætatem mathematicè compleri debere, sicuti debet compleri ætas ad professionem Religionis, & Ordines assumendos. Etenim quoties ius ætatem alicui ad ius præscribit integra esse debet. Neque in his quæ à iure præscripta sunt locum habet regula illa. Quod parum distat, &c. aliâ nihil firmum esset, sed solum procedit regula illa in his quæ ab humano arbitrio pendunt. Neque obstat quod ob præsumptionem potentia eo tempore frequenter contingente ætas determinetur. Satis enim est quod determinata sit, vt nemini liceat prædictæ determinationi contravenire.

Ab hac doctrina excipendum est, nisi proxima pubertati discretionæ, potentiaque coeundi polleat, iuxta Textum in cap. continebatur. cap. de illis de desponsat. impuberum. Quia eo casu valdè & licite cum in foro conscientia, tum in foro externo matrimonium contrahet. Sed quia hæc qualitates ante pubertatem præsumuntur, vt rectè tradit Sanch. dicta disputat. 104. numero 21. Basil. Ponce, dicto cap. 6. §. numero 1. contrahenti incumbit onus probandi eas qualitates ante contractum habuisse, aliâs irritum matrimonium indicabitur. Primò namque probare debet matrimonij valorem, illiusque onera rectè percepisse. Hoc enim intelligitur sub nomine discretionis, & prudentia, cuius sit mentio in cap. fin. de desponsat. impuber. Deinde probare debet habuisse coeundi potentiam, quæ per copulam cum alia, vel seminis effusione, si fortè contingit, vel per alia signa Medicorum iudicio probanda est, vt bene Basiliius dicto cap. 6. §. numero 4.

Proximus vero pubertati dicitur secundum aliquos, cui duo, vel tres anni deficiunt, alij cui sex menses tantum, alij arbitrio iudicis relinquunt, alij & verius cui solus vnus annus deficit, vt insinuat in cap. continebatur, de desponsat. impuber.

Qui autem ante ætatem puberem contraheret ignorans malitiam supplere ætatem mortaliter peccaturus esset, vt potè qui ætatem contractum ab Ecclesia reprobatur, inire, vt colligitur ex cap. non est, 2. de desponsat. impuber. Et tradunt aduersus Sanch. lib. 1. disputat. 17. Rebell. lib. 4. quasi. 5. Coninch. disput. 21. num. 54. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 6. §. num. 3. Gasp. Hurtado disp. 22. difficult. 12. num. 47. Ex virgacillima tamen causa poterit ordinari cum impuberibus vsum rationis habentibus dispensare, vt matrimonium validè & licite contrahant, sicuti notauit Sanch. disp. 104. num. 9. Gasp. Hurtado. A. difficult. 12. in fine.

Pubertate obtentâ si desit contrahenti potentia coeundi non desunt qui probabiliter asserant matrimonium non subsistere, quia contrahens ex defectu ætatis non obtinet coeundi potentiam non videtur ætatem ad matrimonium requisitam obtinere iuxta Textum in cap. puberes, de desponsat. impuber. Et tradit ibi Glossa, verbo iardiissime. Et in cap. continebatur, eodem tit. verbo proximo. Et in sum. verbo sponsalia 30. quasi. 2. Abbas in dicto cap. puberes. n. 4. dicens fortè hanc sententiam esse veriorum. Alph. à Vemetur in suo speculo coniugali, art. 39. concl. 2.

Sed longè verius est, & omnino tenendum completo in viris decimoquarto anno, & in foeminis duodecimo habiles esse ad matrimonium contrahendum, tamen si potentiam coeundi non habeant, modò sperent successu temporis eam habituros, vt docuit Syluest. verbo Matrimonium §. quasi. 7. Couaruu. 4. decret. 1. p. cap. §. num. 2. Petri de Ledesma. quasi. 5. 8. art. §. in fine. Malcard. de prob. concl. 889. num. 10. Sanch. lib. 7. disp. 104. num. 5. Gutier. cap. 117. num. 1. quia Textus eam potentiam postulant, cum ante pubertatem contrahitur matrimonium, non verò ad eptâ pubertate, aliâs non daretur triennium ad expectandum an illa impotentia temporalis sit, vel perpetua, sed illud coniugium dissoluendum esset.

Sed quod tempus expectandum sit, vt censeatur illa impotentia perpetua vel temporalis? Variant Doctores. Alij censent triennium esse expectandum, alij biennium. Verius, & receptius est dissolutionem peti non posse, quousque coniuges plenam pubertatem adepti sint, scilicet vir decimum octauum annum, & foemina decimumquartum, iuxta Textum in §. minore, in tit. de adoptionib. Et leg. arrogato. ff. eodem. Et leg. Mela ff. de alimentis, & cibariis. Quippè cum hominum complexiones diuersæ sint, æquitas postulat ne matrimonij dissolutio intenteretur ob impotentiam, quousque coniux ea ætate polleat, in qua perfectum robur natura comparat: sicuti aliis relatis docuit Sanch. lib. 7. disp. 104. num. 18. Gutier. cap. 117. num. 1. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 6. §. num. 1. Excipe nisi ad oculum pateat impotentiam non ex imbecillitate naturæ, sed ex frigiditate, vel alio impedimento provenire, vt aduertunt Gutier. & Sanch. supra.

§. V.

An hermaphroditus impotens sit matrimonio contrahendo?

- 1 Quid sit hermaphroditus.
- 2 Quando hermaphroditus constat quo sexu emineat validè, & licite secundum illum matrimonium contrahit.
- 3 Si secundum sexum imbecillitorem contrahat, validè contrahet, & fortè licite, si potens sit ad coitum.
- 4 Illud certum coniugio secundum vnum sexum contracto, non posse alio vti.
- 5 Quam diligentiam facere hermaphroditus debet, cum dubius est, quo sexu præualeat?

Hermaphroditus est qui vtroque sexu pollet virili, & foemineo. Iudicatur autem vir, vel foemina iuxta sexum prævalentem, ex Textu in leg. quæritur 10. ff. de statu hominum. Quod si neuter præualeat, & quæ viræ foemina iudicandus est, electioque sexus ei conceditur, à qua semel facta variare non licet: vt docet aliis relatis Sanch. lib. 7. disp. 106. n. 1. Gutier. de matr. cap. 119. n. 1.

Quando hermaphroditus constat quo sexu emineat validè, & licite secundum illum matrimonium contrahit, ita vt si sexu virili præualeat foeminam ducere possit, si autem præualeat foemineo, viro possit copulari, vt docuit Glossa in cap. si testis, verbo ad testimonium. 4. quasi. 3. Angel. verbo Hermaphroditus. numero vltim. Syluest. Tabiena, & Amilla eodem, in fine. Sanch. disputat. 106. num. 4. Gutier. d. cap. 119. numero 1.

Sed an secundum sexum imbecillitorem validè, & licite contrahere matrimonium possit? Difficultate non caret. Sanch. dicta disp. 106. num. 5. & Gutier. cap. 119. num. 1. negant eo quod ex sexu fortiori vir, vel foemina hermaphroditus reputetur, non autem ex sexu debili, & infirmo. Sed rectius distinguit Basil. Ponce, lib. 7. de impedim. cap. 6. §. in fine, num. 8. Gasp. Hurtado disp. 22. difficult. 10. in fine, num. 35. si secundum sexum debilem impotens est ad coitum, non poterit secundum illum contrahere. At si potens sit validè, & fortè licite contrahere poterit, quia esto ex sexu fortiori vir, vel foemina denominetur, absolute tamen & simpliciter vir, vel foemina ex sexu debiliore spectato, cum secundum illum habeat potentiam ad congressum. Igitur attento naturæ iure poterit iuxta illum contrahere. Iure autem positio nullibi inuenitur irritum tale coniugium, quinimo nec prohibuit. Ergo non solum validum, sed fortè licitum erit secluso vtu, & consuetudine.

Illud est certum coniugio secundum vnum sexum contracto peccatum adulteri esse altero vti, quia hermaphroditus nequit alteri corpus suum tradere in duplicis sexus vsum, sed in vsum vnus tantum, vt æqualitas seruetur.

Quod si non constat hermaphroditus quo sexu præualeat, spectato vtu, & consuetudine nequit matrimonium contrahere, quia prius à Medicis inuestigetur quem sexum habeat fortiore, qui si dubij sint, electio sexus hermaphroditus conceditur. Quam electionem coram Iudice Ecclesiastico facere obligatur, penes quem est cautionem iuratoriæ ab hermaphroditus petere, quod nunquam altero sexu vteretur. Quæ diligentia semper præmittenda est antequam Parochus huic

huic matrimonio interfit, sicuti bene docent Maiol. de irregulari. lib. 3. cap. 2. §. num. 16. Sanch. d. disp. 106. num. 6. & segg. Gutier. d. cap. 1. §. num. 2. & seqq.

§. VI.

Qualiter impotentia perpetua impedimentum sit matrimonij contrahendi?

- 1 Si matrimonium sumatur pro traditione corporis ad prolem generandam, ut frequenter sumitur, non solum iure positivo, sed naturali impedimentum prestat impotentia perpetua. Secus si matrimonium sumatur pro quadam confederatione.
- 2 Aliqui affirmant hanc confederationem verum matrimonium constituere.
- 3 Oppositum verius est.
- 4 Satis sit fundamentum Basilij.

1 Si matrimonium sumatur, ut communiter sumitur pro traditione corporis ad prolem generandam, omnes fere Doctores conveniunt non solum iure positivo, sed naturali non posse cum impotentia perpetua coeundi contrahi, quia nequit illa impotentia affectus le ad copulam obligare, ut colligitur ex tota causa 33. quest. 1. Et ex toto titulo de Frigidis, & maleficiat. Et ex motu proprio Sixti V. edito anno 1587. At si matrimonium sumatur pro quadam confederatione ad simultaneam habitationem, obsequiorumque communicationem secluso incontinentiam periculo, non videtur ex impotentia ad coitum irritari, tamen omnino dissuadendum sit, sic pluribus comprobatur Sanch. lib. 7. disp. 97. à n. 5. & Gut. de matrim. cap. 114. à numero 1. Et colligitur ex cap. consultatori. Et cap. laudabilem de frigidis, & maleficiat. Et c. 2. 33. quest. 1. Et ex dicto motu proprio Sixti V. Et ex lege regia 1. tit. 9. part. 4. ibi: [Per si quis iterum callat su embargo, y viuir en vno no como marido y mujer para a yuntarse carnalmente, mas como hermanos puedan lo fazer.]

2 Controuersia autem est, An illa societas, & confederatio verum matrimonium constituat tam iure naturæ, quam Ecclesiastico. Affirmare videtur Paludan. in 4. d. 34. quest. 2. Antonin. 3. part. 1. cap. 22. §. 3. Veracruz in suo speculo coniug. 1. part. art. 38. Petr. Sotus lect. 5. de matrim. cap. 3. Medina lib. 5. de continentia, cap. 74. quibus fauet D. Thom. in 4. d. 34. q. 1. art. 2. ad 4. & 3. part. quest. 29. art. 2. prout eos refert, & sequitur Basil. Ponce lib. 7. de matr. cap. 56. Mouetur ex dicto cap. consultatori, & cap. laudabilem de Frigidis, & maleficiat. & ex dicto motu proprio Sixti V. vbi supponitur, quod inter impotentes matrimonium contrahi in ordine ad castitatem videndum. Ratione à priori suam sententiam Basilij confirmat, quia de essentia matrimonij tantum est mutua coniunctio animorum in naturalem vitæ societatem cum diversitate sexus: at hæc coniunctio stare optime potest cum impotentia ad coitum, ergo impotentia ad coitum matrimonio non obest. Consequentia, & minor legitimæ sunt. Maiorem in qua est difficultas sic probatur, quia commune est, & satis à Doctores receptum dominium rei ab usu illius distingui. Potest ergo coitus impotens dominium sui corporis alteri tradere, tamen illius usum non tradat. Ergo esse corpus impotens ad usum ob stare nequit dominij translationi. A posteriori probat Basilij, quia nullum sacramentum esse potest, si illi desit materia necessaria, ut patet in Baptismo, Penitentia, Eucharistia, & Confirmatione. At hoc Sacramentum Matrimonij consistere potest absque potentia ad copulam, ut contingit, cum hæc impotentia matrimonio iam contracto superuenit. Ergo.

3 Ceterum omnino dicendum est talem confederationem verum matrimonium non esse non solum iure Ecclesiastico, quod mihi certissimum est, sed etiam iure naturali. Quæ fuit sententia Bonavent. in 4. d. 34. art. 2. quest. 1. Nauar. cap. 2. 2. num. 60. & lib. 4. consil. titulo de frigidis, & maleficiat. consil. 3. numero 2. in secunda edit. Matien. Rub. gloss. 1. num. 196. tit. 1. lib. 5. collect. Barbosa leg. 1. part. 1. num. 95. Solutio matrim. Gutier. de matrim. cap. 114. num. 1. Coninch. disputat. 31. dub. 7. concl. 1. num. 76. Gaspar Hurtado, disp. 22. difficult. 4. num. 10. Valq. 3. part. disp. 125. cap. 7. Sanch. plures refert lib. 7. disp. 97. art. 2. colligiturque ex dicto motu proprio Sixti V. absolute desincentis impotentes ineptos esse ad matrimonium contrahendum, idque satis insinuat in cap. consultatori. Et c. laudabilem, de Frigidis, & maleficiat. vbi absque vlla distinctione matrimonij ad copulam, vel ad castitatem conueniendum deciditur stante impotentia non posse coniugem haberi ut uxorem. Ratio vero videtur manifesta, quia matrimonium primo, & per se institutum est ad honestam humani generis propagationem, ut constat ex illo Genes. 2. vbi dicitur Propter hanc relinquit homo patrem, & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una, &c. At coniugis impotens nequit tradere sui corporis dominium ad prædictam propagationem, tamen tradat, uti seruas ad rerum domesticarum obsequium,

ergo nequit verum matrimonium constituere. Præterea si prædicta confederatio esset verum matrimonium, pater cum filia, frater cum sorore contrahere possent, siquidem inter ipsos mutua obligatio sibi inuicem obsequendi, & alendi potest intercedere. Item ex mutuo consensu dissolui hoc matrimonium potest, cum solum ob bonum prolis, & in ordine ad illam indissolubile censetur. Deinde adulterium non esset accessus ad aliam, siquidem non traditur corpus, cuius alter habeat dominium. Quæ certe absurda sunt. Et quamuis Basilij illis respondere intendat, credo intentionem non esse affectum.

Fundamentum, quo mouetur Basil. leuissimum est. Dicitur namque matrimonij essentiam esse animorum, corporumque coniunctionem in naturalem vitæ societatem, humanique generis propagationem, ut colligitur ex definitione matrimonij communiter approbata, & satis indicata ab Alexand. III. in cap. illud quoque, 11. de præsumptionibus, dicente esse coniunctionem maris, & femine, & ex fine ad quem esset institutum. Et licet dominium rei ab usu illius distinguiatur, at nequit tradi dominium, quia tradatur ius, & potestas illa re vtendi, tamen ex alio capite contingat cum potestatem ligari, & usum illius impediri, ut cunctis in iis qui matrimonium contrahunt sub voto castitatis, vel sub promissione inuicem facta castitatem viuendi. Minus efficax est ratio à posteriori. Aliud enim est fieri matrimonium, & Sacramentum, aliud esse matrimonium factum. Ad matrimonium Sacramentumque constituendum necessarium requiritur corpus generationi aptum, quia debet tradi illius dominium in ordine ad generationem, secus verò post matrimonium contractum, quia dominium semel traditum non perit per eam potentiam generandi, cuius iudicium manifestum est, quia impotentibus, quibus impotentia contraheo matrimonio superuenit licet tactus, & amplexus, qui tamen non licent in qui cognita impotentia contraherent, ut tradit Sanch. plures refert lib. 7. disp. 97. num. 4. Gutier. cap. 114. numero 3.

§. VII.

Qualiter dubia impotentia impedimentum sit matrimonij contrahendi, vel saltem illius usus?

- 1 Dubius de impotentia necessario abstinere debet à matrimonij contractu sub graui culpa.
- 2 Si non obstante dubio contrahat non solum reddere, sed & petere potest, ut Ecclesia constet, an valide contraxerit.
- 3 Si dubitetur, an matrimonium consummauerit, & re diligenter examinata dubium vinci nequit, sententia ferenda est pro matrimonij valore.
- 4 Quando dubium est, an præcesserit impotentia, vel subsæcuta fuerit matrimonium, assensus plures satis probatiui præsumi debere præcessisse.
- 5 Verior est opposita sententia.
- 6 Præcedit doctrina, quando post longum tempus à matrimonij contractu allegatur impotentia.
- 7 Quando est dubium, an impotentia naturalis, vel accidentalis sit, præsumi accidentalis debet.

Dubius de impotentia esse potest. Primum, an sit vera impotentia? Secundum, an præcesserit, vel subsæcuta sit matrimonium?

Dubius de impotentia necessario abstinere debet, sub graui culpa à matrimonij contractu, tum ob grauem iniuriam, quam alteri coniugis potenti irrogat, ut ex certa sententia tradit Sanch. disp. 103. in fine. Gutier. de matr. cap. 116. in fine num. 3.

Quod si non obstante eo dubio contrahat non solum reddere, sed & petere potest, ut Ecclesia constet, an valide, vel inualide contraxerit, sicuti prædicti Doctores aduertunt. Si verò intra triennium quod ab Ecclesia conceditur ad hanc inuestigationem non poterit matrimonium consummatione iudicio Ecclesie separandum esse, quia præsumitur cum impotentia perpetua contraxisse.

At si dubitetur, an matrimonium consummauerit, & re diligenter examinata vinci dubium nequit, sententia ferenda est pro matrimonij valore, quia vult quisque præsumitur potens, dum contrarium non probatur, ut docuit Innocent. in cap. 1. n. 3. de frigidis, & maleficiat. Dominicus Sotus in 4. d. 34. q. unica art. 2. ver. prologus, & alij quos congerit Sanch. supra n. 3. Gutier. cap. 126. n. 2.

Rursum cum de impotentia constat, dubitatur autem an præcesserit, vel subsæcuta fuerit matrimonium, variant Doctores, ut videre est apud Sanch. lib. 7. disp. 103. à n. 1. Et quidem siue impotentia proveniat ex frigiditate naturæ, siue proveniat ex maleficio, siue ex humana industria, debere præsumi